

*Delegatio Sixti IV. Archipresbitero Eccl. Ast-  
in causa feudorum Vixoni, Tertii, & Cava-  
torii inter Ep. Aq., & M. Malaspinam.*

389

MCCCCCLXXX.

Anno Domini MCCCCCLXXX. Sixtus Episcopus  
A servus servorum Dei dilecto filio Archipresbi-  
tero Ecclesiae Astensis salutem, & Apostolicam be-  
nedictionem. Conquestus est nobis venerabilis frater  
Thomas Episcopus Aquensis, quod Antoniottus Ma-  
laspina Laicus Aquensis Diocesis Vixoni, ac Ter-  
tii, ac Cavatorii castra dictae Diocesis ad mensam  
Episcopalem Aquensem legitime spectantia detinet  
indebite occupata, ideoque discretionis tuae per Apo-  
stolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fue-  
rint vocandi appellatione remota, decernas ecc. Da-  
tum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Do-  
mini MCCCCCLXXXVIII. cal. martii Pontificatus  
nostri anno I.

*Deputatio Procuratorum facta ab universo  
Clero Alexandrino in causa contra  
Clerum Terdonensem.*

390

MCCCCCLXXX.

In nomine Domini amen. Anno MCCCCCLXXX.  
(1) indictione XV., die V. mensis augusti actum in  
civitate Alexandriae, videlicet in capella S. Perpetui sita  
in Ecclesia majori Alexandriae, & praesentibus testibus  
infra scriptis ad infra scripta omnia, & singula vocatis,  
& rogatis, & specialiter, & per me Notarium in-  
fra scriptum rogatis. In quorum quidem testium, &  
mei Notarii infra scripti praesentia ibidem persona-  
liter constituti omnes, & singuli R. R., & Vener.  
D. D. de Clero civitatis Alexandriae, & Diocesis  
sono campanae, ut moris est congregati, & citati  
per Luchinum Verrum nuncium Curiae Episcopalis  
Alexandriae, ac jussu, & mandato R. D. Johannis  
Trotti Archidiaconi, & Vicarii Episcopalis Ale-  
xandriae ad infra scripta specialiter peragenda, quo-  
rum nomina sunt ut infra, videlicet primo praedictus  
R. D. Johannes Trottus Archidiaconus, R. D. Geor-  
gius Merlanus Archipresbiter, Melchior Canigia  
Praepositus, Mathaeus Inviciatus Cantor, Paulus Ca-  
nigia, Franciscus Panza, Johannes de Marchello,  
Gulielmus Marfilus, Dominicus de Millo, Lauren-  
tius de Solero Canonici Ecclesiae majoris Alexan-  
driae, R. Bernardinus de Cortona Abbas Abbatiae  
S. Justiniae de Sezadio, D. Roglerius de Aresa Prae-  
positus S. Baulini, D. Gabriel Guaschi Praepositus  
S. Syri suo & nomine Praepositi S. Johannis de  
Capuccio, D. Fr. Johannes de Sezadio Prior sancti  
Martini suo & nomine DD. Monialium Annuntiatae,  
D. Prior S. Mariae de Castello, D. Hieronimus de  
Palma Capellanus nomine R. Abbatis S. Petri de  
Bergolio, D. Bartholomeus Squarzacicus Archipres-  
biter S. Mariae Bergolii, D. Presbiter Sebastianus  
Barberius rector Ecclesiae S. Michaelis de Bergolio,  
Johannes Arnulfus nomine Gulielmi Arnulfi ejus  
filii canonici dictae Ecclesiae S. Mariae, D. Jacobus  
Rana Minister S. Jacobi de Altopassu, D. Girardus

Gallia rector S. Bartolomei Alexandriae suo & no-  
mine R. Fr. Marci Guaschi, D. Presbiter Antc-  
nius Baloccus rector S. Victoris, D. Presbiter Leo-  
nardus de Capoa rector Ecclesiae SS. Petri, & Fi-  
lippi de Uviliis, D. Presbiter Petrus Henge etius  
rector Ecclesiae S. Nicolai Frascharii, Michael Rana  
nomine D. Fr. Michaelis Ranae praepositoris S. Jo-  
hannis . . . . . Alexandriae, D. Fr. Simon  
de Monteferrato nomine Monialium S. Clarae, Lu-  
dovicus de Vartio pro Monialibus S. Maddalena,  
D. Pater Nicolaus Bonora Archipresbiter SS. Fe-  
licis, & Agathae Uvilliarum, D. Fr. Laurentius  
Sacchus Prior S. Mariae de Monte Carmelo, D. Fr.  
Benedictus Regi . . . . . Prior S. Marci,  
D. Fr. Johannes de Vignali pro fratribus S. Fran-  
cisci, D. Prior S. Stephani de Bergolio repraesent-  
antes totum, & universum Clerum, & saltem plus  
quam duas ex tribus partibus totius Cleri Alexan-  
driae, nullo juris, vel facti errore ducti, & ex eo-  
rum, & cujuslibet eorum pura, mera, libera, &  
spontanea voluntate, & alias omnibus melioribus  
modo, jure, via, causa, & forma quibus melius,  
& validius de jure potuerunt, & possunt ratifican-  
do, & approbando omnia, & singula dicta, facta,  
& negotiata quomodolibet nomine Cleri Alexan-  
drini per superscriptum D. Mathaeum Cantorem co-  
ram RR. DD. Vicariis Terdonensi, & Alexandrino  
in causa contra superscriptum Clerum Alexandrinum  
indebite mota per Ven. agentes pro Clero Terdo-  
nensi, & vel pro executione subsidii Apostolici pro  
dicto Clero occasione turris templi vallis Urbarum,  
& Ecclesiae de Banno membri S. Stephani Sezadii,  
constituerunt, creaverunt, & solemniter ordinave-  
runt, & constituunt, creant, & solemniter ordi-  
nant suos, & dicti Cleri certos missos nuncios,  
actores, factores . . . . & negotiorum suorum, &  
dicti Cleri gestores, & quidquid melius de jure  
. . . . . melius dici potest, esse possunt genera-  
les, speciales, ita quod generalitas specialitati non  
deroget, nec e contra, videlicet superscriptos D. D.  
Georgium Archipresbiterum Melchiorem Praeposi-  
tum, Mathaeum Cantorem, Johannem de Marchello  
Canonicos, & Nicolaum Bonoram Archipresbite-  
rum Uvilliarum, & quemlibet ipsorum principaliter,  
& in solidum, ita quod occupantis conditio melior  
non existat, & quod unus ipsorum inceperit, alius  
prosequi, & finire valeat ad superscriptas causas  
motas per RR. de Clero Terdonensi extra RR. de  
Clero Alexandrino coram D. D. Vicariis eorum oc-  
casione, de qua supra ecc. Et inde de praemissis  
omnibus ecc. praesentibus ibidem nobili Johanni de  
Puteo filio Domini Benentini, nobili Johanni An-  
tonio Inviciato, & Ludovico Ferrario testibus notis,  
& idoneis ad praedicta vocatis specialiter, & rogatis.

(1) R. P. M. Cavallerius, qui mihi hanc dedit, putat  
referendam esse ad annum 1497., & sane Epocham lu-  
xatam esse patet ex indictione XV., quae solum an-  
1482., vel 1497. concurrit, minime vero 1480., sed  
cum apographum habeat 1480., ideo hanc religiose  
servavi.